

Glo
1024

Nf. 99.

10.

DE
VITA
CASPARI HOFMANI
LEOBERGENSIS SILESII
SERENISS. ELECTORIS BRANDENBURGICI
ARCHIATRI ET PROFESSORIS
IN ACADEMIA FRANCOFORDIENSIS
OPTIME MERITI
PISTOLA
AD
VIRVM
PERILLVSTREM ATQVE EXCELLENTISSIMVM
FIDERICVM HOFMANVM
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS
ET ELECTORIS BRANDENBURGICI
CNSILJARIVM INTIMVM ARCHIATRVM
ET PROFESSOREM REGIVM
IN ACADEMIA FIDERICIANA
LONGE CELEBERRIMVM
SCRIPTA
A
BENIAMINE GOTLIBIO GERLACO
A. A. LL. MAGISTRO ET GYMNASII MVLHVSINI
RECTORE



ad

VITA

CASPARI HORVAMI

LEONARDINI SICCIUS

SEUENSIS ELEGATORIS BRANDENBURGENSIS

ALCHIMIA ET ALTA CHYMIA

IN ACADEMIA LUDWIGIANA

DETINENDA

EPISTOLA

ad

MURM

FREDERICUM HORVAMIN

SEUENSIS AC FOTII EPISTOLA BORUSIAE RIBA

ET ELEGATORIS BRANDENBURGENSIS

COLLEGIA ET INSTITUTA ARCHANTIA

IN ACADEMIA LEONARDINI

DETINENDA

BENIGNUS GOTTSIO GERMAGO

ACAD. MEDICO-PHYSICO-MATHEMATICO

1715

Cum nuper subsecuius operis ad meum studium libellos quosdam, Melanchthonis, Camerarii, Caselii, Sturmiique, euoluerem, incidi etiam, Hofmane perillustris, in Antonii Nigri exhortationem ad liberalium artium studia, quae solidam erudienda adolescentiae rationem complectitur, atque item in Caspari Hofmani filuulam orationis de barbarie imminente, quae pariter multa eruditione, praecepsisque claris de literis, cum tradendis, tum descendis, referta est. Vterque Silesius fuit, uterque medicus insignis, uterque de iuuentute optime meritus, quod studia literarum iam tum prolapsa corserit, atque adolescentes ad fontes reuocauit, iisdemque se ducem praebuit, ut uenirent eo, quod ducibus optimis ipse peruenisset. Sed de Antonio Nigro satis ab aliis dictum scimus, qui de vita eius exposuerunt. Casparum uero Hofmanum plerisque, praeter admodum paucos, non satis cognitum esse, iam dudum obseruauimus, quod uel plane in numero eruditorum praetermittatur, uel cum Caspero Hofmano, Gothano, summo illo medico Altorfino, confundatur, uti ab Io. Antonide Vanderlindeno, in libris de scriptis medicis, factum meminimus, quem propterea Voglerus, in introductione in notitiam bonorum scriptorum, merito notauit. Lapsum quoque fuisse

A 2

Vit.

Vittenium, recte monuit Mollerus de scriptoribus homonymis. Miror etiam, Ioachimum Negelium, uirum maxime reuerendum, qui ante aliquot annos Vlyssem literarium, una cum Dornauii Vlysse scholastico, edidit, hoc non obseruasse, uerum eodem errore inductum, siluulam illam orationis de barbarie imminentia, Hofmano, Altorfensium doctori, tribuisse. Quare mihi stat, de tanto uiro, ac populari meo summo et clarissimo, paullo diligentius agere, et, quae ex domesticis et certis scriptoribus in promptu habeo, in medium proferre. Quod autem breuem hanc communicationem potissimum Tibi, per illustris Hofmane, dicarim, minime ingratum fore confido, qui non obscura singularis benevolentiae erga me Tuae signa habeo: neque alios consilium meum improbaturos esse puto, qui in Te Casparum illum Hofmanum quasi reuixisse intelligunt, cum quo et nomine, et munere, et dignitate, et bonas literas iuuandi studio omnino es comparandus. Sed iam ad instituta pergamus.

Est opidum Silesiae inferioris, in agro Iarouensi, Leoberga nomine, loco amoeno et salubri conditum, quod montes fere undique cingunt, ab una uero parte Boberus, amnis rapidissimus, grato murmure alluit. Terra ibi foeta est frugibus,

bus, easdemque uario genere maxima largitate fundit. Quid de hortorum amoenitate, aut pratorum uiriditate, aut nemorum siluarumque specie dicam, quibus nihil potest esse tum fructu laetius, tum aspectu pulchrius, tum usu uberius, adeo, ut Silesiorum Tempe ibidem esse paene crediderim. Et fuit re uera hic locus quondam Musarum quasi domicilium, ac parens ingeniiorum in omni doctrinarum genere excellentium, quae Imperatorum, Regum ac Principum aulas, celeberimasque Germaniae academias ac scholas, mirum in modum illustrarunt. Neque enim unum itemque alterum illustri ingenio uirum edidit Leoberga, sed integras eruditas familias, Virthiorum, Reusnerorum, Reimanorumque produxit, prout ex Leobergensibus monimentis, ab Sueuo et Eberto confectis, perspici potest. Hoc igitur Silesiac opidum, elegantium partu ingeniiorum haud obscurum, nostrum quoque CASPARVM HOFMANVM, anno saeculi sextidecimi undetresimo, Calendis Octobribus, tulit, uti ex Abrahami Bucholceri annalibus, atque Eliae Reusneri et Andreae Calagii diurnis comperi. Ineunte adolescencia in patria, iisdemque temporibus per celebri schola, magistris optimis doctissimisque, ingenium, cuius docilitatem elegantiamque mature ostendit, iis artibus, quae ad humanitatem pertinent, nauiter

excoluit, ut nemini inter aequales, uel probitate,
uel diligentia, cederet, pauci pares putarentur.
Constitutis in patria studiorum rationibus, Hof-
manus in vicinum Goldbergense Gymnasium se
contulit. Tum enim illuſtris haec schola Fride-
rii II, optimi Principis, ac Lignicensium Iosiae,
munificentia ac liberalitate maxime florere coe-
perat, quam ciuitatem bene constitutam, bonis le-
gibus, doctrina eximia, aliisque honestis ingenii
exercitationibus sanctitam, merito dixeris. Praeerat
temporibus illis huic bonae mentis officinae Valen-
tinus Fridlandus, Trocedorius, vir praeclara eru-
ditione atque doctrina ornatusissimus, qui Philippo
Melanchthoni, magistro suo, non secus ad scho-
lam, atque ad castra regunda Scipio Africanus,
natus aptusque esse videbatur. Et quemad-
modum Gaditanus quidam, ut Plinius Secun-
dus auctor est, Titi Liui nomine gloriaque com-
motus, ad uisendum eum, ab ultimo terrarum or-
be uenit: sic tanta celebritate famae Trocedor-
ius fuit non tantum Silesiis notus, uerum et Mo-
raui, et Bohemi, et Saxones, et Carinthii, et Panno-
nes, & Sarmatae, nec tantum infima aut mediocri
conditione & fortuna adolescentes, uerum ex illuſtri
quoque ac nobili stirpe oriundi, non solum
uidendi, ut Gaditanus iste Liuium, qui statim, ut
uiderat, abiit, sed alloquendi etiam audiendique
cauſa,

causa, magna semper copia confluxerunt. Quid
mirum, Casparum nostrum, relicta patria, Gold-
bergam migrasse, cum haud facile quispiam ea ae-
tate, nisi ex Trocedorfii disciplina doctus, in lite-
ratorum censu apud Silesios haberetur. Neque
unquam Hofmanum poenituit instituti, sed am-
plissimum per omnem aetatem consilii sui fructum
consecutus est. Didicerat enim Fridlandus ab
Melanchthonie suo, quemadmodum melius iuuen-
tuti consulendum, studia ad fontes reuocanda,
praecepta non sine usu inculcanda, sed ad quascun-
que disciplinas accommodanda sint. Hac igitur
ratione, quemadmodum ad scientiam neque ieu-
nam ac sterilem, neque incultam ac sordidam, sine
circuitione atque anfractu, perueniendum sit, edo-
ctus Hofmanus, hunc, ut ipse in oratione de barba-
ria imminente appellauit, optimum instituenda
pueritiae artificem, ac praceptorum suum eru-
ditissimum, grata semper memoria celebrandum,
bonis prosecutus est recordationibus, et publicis
identidem priuatisque laudibus extulit. Ita prae-
munitus, prout par erat, literis, largiterque imbui-
tus, ex eadem Trocedorfii schola Francofordiam
ad uadum Viadri discessit noster, ubi multa indu-
striae adiumenta inuenit, atque ope consilioque
uirorum docendi facultate et fide insignium usus
est. In his, praeter Matthaeum Hostum, litera-
rum

rum et antiquitatis peritissimum , omnium maxi-
me florebat Iodocus Villichius , vir cum in omni
erudita philosophia, tum in medendi scientia sum-
mus, qui in explicandis Latinis, maxime vero Grae-
cis, scriptoribus, multum operae ac temporis con-
sumsit : tandem in medicorum ordinem assitus,
totum paene Hippocratem scientissime interpre-
tatus est, doctissimisque scholiis illustravit. Hic
non properauit Hofmanus ad sublimia disciplina-
rum studia, ut plerique iuuenum , nostra praeler-
tim aetate, faciunt, qui, siue splendore dignitatis
capti , siue auditate pecuniae abrepti, artes libe-
rales et philosophiam ne primoribus quidem la-
bris attingunt: uerum omnes industriae neruos
contendit, ut apud Trocedorfium suum feliciter
incepta perficeret, ac doctrinae opibus se magis
magisque locupletaret. Tametsi enim Casparus
noster, hortante natura, arti salutari operam dare
in animum induxerat: neutquam tamen ab lite-
rarum ac sapientiae studio abhorruit, institutisque
suis alienum esse putauit. Neque erat nescius,
eos, qui se *ευμελεῖς* ab experientia sic nomina-
runt, atque in usu et experimentis medicinam po-
suerunt, iam olim, Corn. Celso teste, dictasse,
morbos non eloquentia, sed remediis curari: plus
tamen apud Hofmanum ualebat Hippocratis et
Galeni auctoritas, quorum uterque cum salutari
ista

ista professione variam ac multiplicem eru-
ditionem, atque eloquentiam paeclaram co-
pulauit. Norat idem, Coum illum, et
arte, et facundia insignem, discipulos suos singu-
lari libro ad literas ac differendi artes hortatum
fuisse, quo hisce praesidiis instructi ενθητούσεροι
τοις κατέργαιοι redderentur. Habebat etiam de
municipibus suis medicos, quos imitaretur, sum-
mos ac nobilissimos, Ioannem nempe Langium,
et Georgios Virtios, qui doctrinae exquisitae at-
que excellentis copia cunctos in admirationem sui
traxerunt. Ipse quoque Iodocus Villichius,
auctoritate exemplique eum in hac sententia poten-
terat confirmare, ut in politiorum literarum studio
non minus, quam in medendi arte uersaretur.
Quo facto, nominis famam ac gloriam sibi com-
paravit. Datis enim doctrinae suae variis speci-
minibus, laurea philosophica dignus iudicatus est.
Qua ornatus magis se erexit, et, quod aliquando
medicinam facere uolebat, totum praestantissi-
mae huic arti se applicuit, in eaque tantas fe-
cit progressiones, ut summi honores ab amplissi-
mo medicorum ordine, Iacobo Iokiffo cum
Decurione, illi conferrentur. Cum igitur Hof-
manus diu multumque didicisset, ut alios
optime docere posset, assiduitatis ac diligen-
tiae

tiae praemium Nutricius academie munificens
tissimus ipsi persoluit, et vacuam professoris sapi-
entiae prouinciam quam benignissime contulit,
cui etiam per plures annos tanta uirtute praefuit,
quantam in administrando hoc munere quisquam
a quoquam uel optare possit, uel sperare. Inter-
ea non Francofordiae tantum, sed alibi etiam me-
dendi peritia hominum saluti consuluit, ac mul-
torum ualetudini optato felicique remediorum
usu praesidio fuit. Sic se gerendo, nominis existi-
mationem domi forisque amplificauit, adeo, ut
ipse Marchio Brandenburgicus, Ioannes, Princeps
aetatis suae sapientissimus, atque ea re *Oculus et*
Consilium Germaniae dictus, Casparum nostrum
Hofmanum in consilium tuendae ualetudinis ad-
hiberet. Postea quoque eius opera ab sum-
mis Romani Imperii Electoribus saepius expedita
fuit: nunquam tamen ab officio, quo genti Bran-
denburgicae se se obstrinxerat, dimoueri potuit.
Ipse autem Septemuir, Ioannes Georgius, addu-
ctus est, ut Hofmani sui fidem sibi praestitam im-
pensis amaret, et prolixius faueret meritis ipsius,
cui exteri iam bene cupiebant. Quocirca non
tantum in academia Francofordiensi artem salu-
tarem publice docendi partes Casparo demanda-
tae sunt, sed a Septemuiro salutis suae custos
curatorque ualetudinis constitutus est, tandemque
Co-

Coloniam ad Spream accitus, quo eius consilio
et ope salutariter uteretur. Tanta quoque fide,
tanta uigilantia et industria, delato sibi muneri
praefuit, ut aliis inseruendo sibi defuisse videatur.
Namque uigiliis laboribusque fractus, uitam,
ut ipse ad Abrahamum Bucholcerum suum scribit,
inquietam egit, et, dum alias incolumes praestitit,
ipse grauem ac mortiferum nactus est morbum,
cui etiam succubuit, atque eodem anno, qui Io-
anni Sambuco Vindobonae, et Abrahamo Buchol-
cero Freistadii Silesiorum, fatalis fuit, saeculi nem-
pe lexi decimi quarto et octogesimo, ipsis Ca-
lendis Sextilis, cum nondum annos quinquagin-
ta quinque complexisset, Coloniae ad Spream de-
uita migrauit. Fuit sane uir optimus, et com-
memorabili pietate ac uirtute praeditus, moris
praeterea disciplinaeque maiorum summus imi-
tator, elegantiorisque doctrinae amator, cuius
adeo studiosus fuit, ut grauiter in corruptelas bo-
narum artium ac disciplinarum animaduerteret,
atque auctor eslet, ut hoc malum reprimeretur,
quod iam tum illis temporibus serpere inceperat,
ac latius manare. Satis, opinor, id appareat ex
oratiuncula illa aureola de barbaria imminentem,
quam omni liberali doctrina politissimus uir, Ia-
cobus Burckhardus, partim in medico suo humani-

tatis studiorum uindice, partim in commentariis
de linguae Latinae in Germania fatis, quibus li-
bris nihil potest esse dulcius, magnopere laudat,
dignissimamque esse existimat, quae a politioris
humanitatis studiosis diligenter legatur. Attig-
se quoque Hofmanum poeten, in eaque egre-
gie uersatum fuisse, Nicolaus Henelius in Silesia
togata testatur: at uix iam eius poemata compa-
rent. Praeter binas illas literas ad Reinerum Rei-
neccium missas, quae in uolumine epistolarum,
quas ad eundem Reineccium doctissimi uiri
scriperant, inueniuntur, est etiam epistola bene
longa de aquis Hirschbergensibus ad Paullum Lu-
therum, Martini filium, Saxonis medicum, quam
cum consiliis et aliis epistolis Hofmani nostri,
Laurentius Scholzii, medicus olim apud Vratisla-
uienses eximius, in ista uolumina retulit, in qui-
bus Cratonis, Monauii, Dudithii, Mercurialis, Ca-
piuacci, aliorumque medicorum nobilissimorum
consilia et epistolae continentur. Sicuti autem
ipse amauit literas Hofmanus, ita eruditorum
consuetudine et literis impense delectatus est.
Guaro Vigando Guarino, socero suo, atque in au-
lia Custrinensi medico summo, uiro et doctrinae,
et uirtutis, et integritatis laude praestantissimo,
fuit iucundissimus, quo cum identidem de stu-
diis

diis literarum familiares et eruditos sermones contulit. Fuerat enim Vigandus Vitembergas Philippi Melanchthonis discipulus et inquilinus. Ioachimo Camerario, magni illius Camerarii filio, amicissimus fuit: et Iodoci Villichii, iunioris, intima familiaritate usus est. Abrahamum Bucholcerum praecipue dilexit, qui etiam εἰσαγόνην suam ipsi dedicauit, quod hunc χρεοδοτήκον τικελέσθιν Hofmani, et socii eius eruditissimi, horatu pararit. Reinerum Reineccium, quantum potuit, & consilio, & ope, iuuit: apud proceres, tum in literata aula Berolinensi florentes, Distelmeieros, uidelicet, Albinos, Copos, Meienburgios, Barthios, Hubneros, alias, qui omnes Casparum in oculis ferebant, diligentissime commendauit, contraque obtrectatores in academia Francoforiensi acerrime defendit. Neque uero ab Reineccio minus colebatur, qui, ut pro acceptis beneficiis gratum memoremque animum Hofmano testatum relinquerset, illum librum, in quo Messeniorum regum familias ab origine ultima magna cum cura et diligentia repetiit, nomine ipsius inscrispit, ac de praclaris eius in rem literatam meritis multa honorifice et grauiter praedicauit.

B 3

At-

Atque haec quidem sunt, Vir perillustris,
quae de uita Caspari Hofmani, quantum in no-
bis fuit, inuestigauimus, de quo, nisi me fallo,
ipse etiam, quod mireris, doctissimus Beclmanus,
in notitia academie Francofordiensis, tacet.
Adeo manca sunt omnia et imperfecta, quae de
hoc illustri uiro ab aliis memoriae prodata sunt,
ut passim de illo uix aliquid carpi et colligi un-
dique potuerit. Quid a nobis praestitum sit,
Tuum esto iudicium. Ne autem memoria tanti
uiri ingrata obliuione sensim obscuretur, inter-
mortuam prope exsuscitauimus, atque, ut eidem
uita quasi et spiritus reddatur, et ad posteros con-
seruetur, honore immortalis amplissimique no-
minis Tui consecrauimus. Namque in Te si
intuemur, perillustris Hofmiane, alterum illum
Casparum Hofmanum non creptum, sed, commu-
tata quasi persona, redditum nobis uidemus.
Magnum ingenium Tuum, magnunque optimarum
artium studium, admirabilem naturae hu-
mana cognitionem, tam diurno, tam felici usu
perfectam, scripta etiam tam diligenter elucu-
brata, atque exquisito rerum uerborumque appa-
ratu perpolita, non Germani duntaxat, uerum ex-
teri quoque admirantur, ac nomini Tuo nun-
quam non libentissime assurgunt. Quid dicam
de

de acerrimo meliores literas iuuandi amplificandi
studi, quo non secus, quam Casparus ille
Hofmanus, semper incensus fuisti. Namque pro
summa, quae in Te est, prudentia, diligenter ca-
uisti, ne tenebrae rursus bonis literis obduceren-
tur, et immanis ista barbaries, quam Francofor-
diensis ille doctor sapientissimus iam imminen-
tem multo ante, tanquam ex aliqua specula, ani-
mo prospexerat, latius serperet, ac foedissimum
hoc monstrum virus suum non per literas tan-
tum spargeret, sed, partu complurium edito in-
commodorum, ipsam puram religionem conta-
gione sua contaminaret. Qua de causa, cum
superioris saeculi anno septimo et nonagesimo fa-
sces academie teneres, Tibi antiquissima cura
fuit, ut illud, de quo cum grauissimo Latinae lin-
guae omnisque humanitatis assertore, Christophoro
Cellario Tuo etiam atque etiam deliberaueras,
quod iam olim Vitembergae Augustus Buchnerus,
summus uir, in epistola ad Fridericum Metschium
scripta, maxime exoptauerat, tandem ex sententia
eueniret, et collegium politioris doctrinae, sub
auspiciis serenissimi Principis, in Fridericana ue-
stra institueretur, atque optimarum artium studia,
a contemtu et squalore vindicata, denuo reuoca-
rentur, quae uniuersae reipublicae praesidio essent,

ac

ac singulari ornamento. Ecquis dubitaret, quin ad Tua innumerabilia in rem literatam merita maximus hoc Tuo pulcherrimo facto cumulus accesserit. Sed de hoc et aliis plura dicere non audeo: uereor enim, ne, cum amplificare uelim, minuam potius gloriam Tuam usquequaque iam celebratam. Quamobrem id tantum ago, quod pietas iubet, religioque officii admonet, et, quantum laetitiae auspiciatissimus natalis Tuus mihi nuper attulerit, publice Tibi confirmo, Deumque immortalem oro atque obtestor, ut eundem Tibi saepius adhuc faustum fortunatumque redire iubeat, ac Te, cuius salus multorum salutem complectitur, saluum atque incolumem, cum nobilissima familia, seruer, ut deinceps etiam multos consiliis remediisque iuuare, ac literis honorem ac dignitatem tueri queas. Vale, ac perillustris nominis Tui cultorem perpetuum me fore, Tibi persuade. Dabam Mulhusae Turingorum, prid.

Non. Martias, anno, quam salutaris gratiae
lux hominum generi oborta est,
cl^o Is CC XXXVI.

FORMIS
TOBIAE DAVIDIS BRVCKNERI.


Gb 1024.

8 8

W.M.

80





10.

DE
VITA
CASPARI HOFMANI
LEOBERGENSIS SILESH
SERENISS. ELECTORIS BRANDENBURGICI
ARCHIATRI ET PROFESSORIS
IN ACADEMIA FRANCOFORDIENS
OPTIME MERITI
EPISTOLA
AD
VIRVM
PERILLVSTREM ATQVE EXCELLENTISSIMVM
FRIDERICVM HOFMANVM
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS
ET ELECTORIS BRANDENBURGICI
CONSILARIUM INTIMVM ARCHIATRVM
ET PROFESSOREM REGIVM
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
LONGE CELEBERRIMVM
SCRIPTA
A
BENIAMINE GOTLIBIO GERLACO
A. A. LL. MAGISTRO ET GYMNASII MVLHVSINI
RECTORE